Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De legibus disputatio - Cod. Ettenheim-Münster 336

[S.l.], [17. Jahrh.]

§ 1mus

urn:nbn:de:bsz:31-131792

Visual Library

te proximi illatum injuste vel id fiat directe inferendo vel jubendo, consulendo, consentiendo vel alia quacunque ratione cooperando reduplicative homicidium, de quo sit

§. 1mus

de Homicidio.

Conclusio 1. Homicidium est injusta occisio alterius hominis. Dividitur 1. in voluntarium et involuntarium; hoc est quod a voluntate non procedit aut non est cognita. Illud quod deliberata voluntate committitur. Et iterum subdividitur in justum et injustum. Justum est quod fit ex speciali Dei mandato vel lege publica a Deo probata. Injustum, de quo solo hic sermo est cui nulla justitia suffragatur. 2o Directum et indirectum seu casuale. Directum est quod committitur intentione expressa inferendi mortem sibi aut proximo vel percussione vel vulneratione, vel veneno, vel maleficio, vel abortu signatum vel procurando abortum vel impediendo generationem etc. Indirectum et casuale est, quod ipso fit et praeter voluntatem operantis. Quod iterum subdividitur in casuale purum et casuale non purum, hoc est quod directe non est intentum, licet aliquo modo et saltem indirecte sit voluntarium. Illud vero, quod omnino praeter intentionem evenit et nec directe nec indirecte volitum est. Ad homicidium injustum revocatur et prohibetur hoc praecepto, ira, odium, invidia atque omnes actus interni deliberati consilii et plenae voluntatis ad

occidendum hominem in Parricidio, vulnerationis mutilationis tormentum, incarcerationis, omnis denique violentiae iniustae quae ex se vel ex circumstantiis ad hominis integritatem, vel in grave vitae nocumentum vergit. Ut vero haec omnia clariora evadant Sit

Conclusio 2. Nunquam licet seipsum propria auctoritate directe occidere. auctoritate vero publica licet. Probatur pars 1. Omnis proprie dicta occisio suipsius est prohibita lege tam positiva quam naturali. Primum constat ex hoc ipso praecepto et aliis scripturae locis. Secundum probatur: Lumen naturae dictat, rem perfecte alterius dominio subiectam non debere eidem subtrahi sine speciali facultate: sed vita hominis est dominio Dei perfectius subiecta: ergo lumen naturae dictat vitam non esse subtrahendam dominio Dei sine speciali facultate, et consequenter privata auctoritate non esse quempiam seipsum occidere. Probatur pars 2da. Iuste damnatus ad mortem potest ipse venenum oblatum haurire, vulnus personae infligere, sibi venam aperire ut sanguis effluat, iniicere se in ignem; sed hoc est directe seipsum occidere: ergo. Ita maior expresse docetur a Victoria, Arragonio, Corduba Sa, Tamburino, Haunold. et aliis; ratio illius est, quia ex iussu et auctoritate publica constitutus minister

sua necis. minor asseritur ab ipsis Adversarijs, et
recte; quia adsunt omnes conditiones ad directam occisi-
onem requisitae; nam talis ponit actionem, ex qua
mors sequitur; et ponit eam libere. quia si non
consentiret cogi non posset; et est tota causa suae
effectiva suae occisionis: quis n. eum vel partialiter iu-
vat, quando ipse gladium pectori immergit, aut si-
bi venam aperit? ergo etc. Sed contra
Ob. 1. Nonnulli Sancti se vel in flumen aut
in ignem coniecerunt aut alio modo seipsos inter-
fecerunt: ergo licitum est seipsum directe propria auto-
ritate occidere. R. concesso antecedente neg. consequentiam: San-
cti n. seipsos occiderunt vel ex instinctu Dei speciali
vel ex ignorantia invincibili; vel denique quia mortem
subierunt pro fide Christiana et a tyrannis com-
pulsi censentur iuxta moralem aestimationem ab ipsis oc-
cisi: Ob. 2. Minister seu Executor iustitiae vindica-
tivae debet esse distinctus a reo; quia iustitia est
ad alium: ergo reus ipse non potest in seipso exequi senten-
tiam iudicis. R. disting. Ant.; minister seu execu-
tor iustitiae vindicativae principalis debet esse di-
stinctus a reo, concedo. minister seu executor minus
principalis, nego Ant. et consequentiam. Certe si quis dam-
natus ad triremes vel metalla fodienda; vel relegatus
in exilium, ipse necis debet esse executor sententiae
iudicis si superior vel confessarius iniungat poenitentiam

flagellatione an non ipse simul reus est et executor poenae.

Conclusio 3. Licitum est indirecte cooperari ad propriam mortem; imo nonnunquam obligatorium. Probatur pars 1.ma A fortiori et ex conclusione praecedenti. Deinde, qui indirecte cooperatur ad suam mortem, proprie se non occidit, sed habet aliud honestum finem actioni suae praefixum, licet praevideat mortem illi actioni esse annexam. Unde resolves

1. Licitum est se certo vitae periculo exponere, ut quis evadat aliud mortis genus longe acerbius, quod proxime instat. Sic licitum est tibi exsilire ex praealta turri deflagrante, etsi praevideas te moraliter certo periturum ex lapsu. quia licet in hoc casu positive concurras ad propriam mortem, non tamen eam intendis, sed tantum cupis effugere graviora ignis tormenta.

2. Licite potest se in certum mortis periculum conjicere, ut sua morte victoriam de hostibus compares atque ita redimas multorum aliorum mortem et servitutem. Qua ratione Eleazar 1. Machab. 6 v. 46. Regium elephantem interfecit.

3. In naufragio potes alteri cedere tabulam arreptam ut per eam evadat licet tu certo sis periturus in aquis.

4. Potest ille peregrinationem valde periculosam, v. g. iter Hierosolymitanum suscipere, etsi forte aliter non sit occidendus, id quod confirmat praxis piorum, et consensus Praelatorum et aliorum.

5. Licitum etiam est mortem temporalem eligere pro spirituali alterius vita.

6. Potest miles stationem omnium periculosissimam sibi deposcere, itemque suum corpus objicere telis in hostem suum directis ad eius vitam conservandam.

7. Potest ille miles injicere ignem in pulverem nitratum, ne navis, in qua est, occupetur ab hoste; licet certum sit, se et omnes alios socios esse occidendos. Hos omnes et similes casus referunt probati Autores Lessius, Laymannus, [illegible], Sanchez, Diana, Fernandes à S. Paulo et alii, in quibus clare apparet, licitum esse quandoque positivam seu indirectam tantum cooperationem ad propriam mortem: licet multi Autores quoad utraque data exempla reclament, et contrarium non improbabiliter doceant. Nunc de negativa cooperatione sequentes casus subjicimus, servato tamen numeri superioris ordine. Igitur

8. Potest reus ad mortem in odium subeundam damnatus abstinere à cibis clam allatis, etsi non teneatur.

9. Potest etiam aegrotus nolle uti medicinis valde

magno pretio consultantibus, vel curantibus valde magnos dolores et cruciatus.

10. Potest Carthusianus abstinere à carnibus, etiamsi videantur necessariae ad vitae conservationem.

11. Potest religiosus voluntariis afflictionibus v.g. ieiuniis, flagellationibus, ciliciorum gestationibus laudabiliter uti. Item pati frigora, calores, et alia id genus incommoda, etsi praevideat secutura inde vitae abbreviationem; nam religioni sit necessarium, aut valde utilis.

12. Invasus ab iniusto aggressore potest nolle se defendere, ac permittere potius occisionem sui quam ut ipse occidat alterum; nisi forte sit miles stipendio conductus, tunc enim tenetur defendere se et hosti pro viribus resistere.

13. Potest captivus non fugere è carcere, etsi aperta sit ianua, quamvis sit morte mulctandus.

Probatur conclusio pars altera: si quis in causa fidei iuridice interrogatus, tenetur fateri veritatem, etsi praevideat mortem sibi inferendam. Item si salus reipublicae exigat; vel si quis ex certo pacto obligatus sit alteri v.g. miles tenetur patriam, aut principem suum cum certo vitae periculo defendere. Pro doent Ethi da-

ri casu in quo aliquis seipsum accusare teneatur esse
enim de morte puniendum: quod nonnunquam est obli-
gatorium indirecte propriae morti cooperari. Ubi
tamen notandum nunquam licere sibi mortem accelerare
aut vitam notabiliter abbreviare ex actione ma-
la et illicita; quia nemo dominus est suae vitae,
ut eam pro libitu, tum per eas pravas et no-
xias disperdere possit. Hinc gravior peccant, qui
voluntarie sibi potiusque ingressu vitam sibi auf-
erunt. qui frequenti nimiaque luxuria mor-
tem sibi notabiliter accelerant, ut possunt plebei
nonnunquam in eiusmodi casibus excusari a gra-
viori delicto ratione inadvertentiae. Ex qui-
bus facile colliges

1. Licere seipsum mutilare vel mutilationem per-
mittere ad conservandam vitam; quia in tali ca-
su censetur adesse praesumptus consensus Dei qui
est dominus vitae: unde homo constitutus ab eo ad-
ministrator et gubernator sui corporis pru-
denter agit postponendo partem suo toti. hoc
n. licitum est cuilibet administratori etiam sine
expresso consensu domini directi. Quare licitum tibi
est amputare manum in carcere ut solvas cate-
nas et mortem evadas.

2. Nullum teneris permittere mutilationem si conserad

nimium dolorem aut magnum defectum et deformitatem corporis; quia nemo obligatur assumere remedia tam dura et extra ordinaria ad conservandam valetudinem aut vitam, nisi sit persona bono reipublicae valde necessaria.

3. Utrum licitum seipsum vel alium castrare ob bonum temporale vel spirituale dubitant nonnulli: alii sublimiter affirmant, verius tamen est contrarium negativum; quia in Canone primo Concilii Nicaeni et vigesimo secundo Apostolorum hoc habetur: Si quis sibi ipsi virilia amputaverit, clericus non efficitur, quia sui ipsius homicida est et inimicus creationis Dei. Quibus verbis damnatur sane omnis castratio quae ob causam sive temporalem, sive spiritualem fit. Nemo enim est Dominus membrorum suorum, sicut nec vitae. Si tamen daretur casus, in quo aut moriendum esset aut adhibenda castratio, melius utique foret castrare seipsum, quam in peccatum consentire. Sed casus est plane metaphysicus et impossibilis; quia quantumcumque sit tentatio vel a carne propria, vel a diabolo, vel ab ipsis hominibus excitata, poterit per gratiam divinam, quae petentibus numquam deest, facile superari.

Conclusio 4. Nunquam licet directe occidere innocentem. Indirecte, licet. Prior pars 1mo ex illo Exod. 23. v. 7. insontem et iustum non occides. Et ex ratione: Quia nullus homo dominium habet in vitam alterius innocentis. Probatur pars altera: quia si non liceret nonnunquam innocentem saltem indirecte occidere, gravissima damna inveherentur in rempublicam humanam, ut patebit ex casibus sequentibus.

1. Si tyrannus quispiam decreverit perdere et exscindere urbem, nisi innocens, quem necare cogitat, sibi tradatur; potest Magistratus illum periculo mortis exponere et tradere tyranno. Etsi sponte nolit, etiam adigere, quia bonum commune praevalet privato unius personae etiam innocentis. Non tamen potest Magistratus cogere Virginem ut se tyranno tradat violandam, quia in hoc casu manifestum peccati et consensus periculum est, in quod innocens Virgo praecipitari non potest nec debet.

2. Possunt milites in bellis iustis cuniculis subruere moenia, turres, Moenia; domos tormentis impetere; item naves ab hostibus occupatas concremare, etiamsi ibi sint complures inno-

entes: quia non intenditur mors innocentium, sed vi-
ctoria etc. Sic etiam possunt milites relinquere suos commi-
litones indefensos de vita periclitantes, quando
impetus hostium est nimis validus ac fortis; nemo
enim potest obligari ad actionem temerariam.

2. Potest mater gravida, si ob foetum de
vita periclitetur, sumere pharmacum ad conservandam
vitam, licet foetus adhuc inanimatus sit suffocan-
dus. Si vero foetus iam sit animatus, controversum est.
Ego dico, si certa spes sit foetum prodituram e
vivum et ad baptismum perventurum, si medicina
non sumatur, tenetur Mater ab ea abstinere, etiam
cum periculo propriae vitae, quia tunc foetus
versatur in extrema necessitate spirituali. Si vero nulla
sit eiusmodi spes aut certe dubium an proles
viva edenda sit, potest tunc Mater sumere me-
dicinam ad conservandam propriam vitam. Contrariae
sententiae, Mater scil. in nullo casu te-
netur abstinere à pharmaco ob prolem, suam pro-
babilitatem relinquo.

Conclusio 3. Licitum est cuivis occidere in-
iustum vitae suae aggressorem cum moderamine in-
culpatae tutelae. Probatur: Vim vi repellere omnes
leges omniaque iura permittunt. Et Charitas certe

ordinata charitas propria vita ceteris paribus esse
praeferenda alienae. Certe si non liceret sterne-
retur via improbis ad quaerenda omnia sua flagitia.
ergo etc. Unde colliges

1. Licere etiam occidere injustum evasorem bonorum
temporalium si illa sint magni momenti et aliter
salvari non possint; quia licet vim vi repellere ad
vitam conservandam; ergo etiam ad conservanda ea sine
quibus vita nequit consistere. Quod etiam adver-
sarios ostenditur in n. et ipsis liceret faculta-
tes suas furari, miserrima foret eorum conditio, et
perpetuis depraedationibus exposita. Nihilominus
recte damnata est ab Innocentio XI. Anno
1679. die 2. Martii haec sententia num. 31. Re-
gulariter occidere possum furem pro conservatione unius
aurei.

2. Licere virgini occidere injustum invaso-
rem pudicitiae suae si clamando et aliis modis
illam salvare non potest. Sic etiam puella laudem
meretur quae impudico sibi osculum danti colaphum
infligit: quia revera injuriam accipit, et si, ut
debet, est invita et non libidinosa hoc vel si-
mili modo absterreat et confundat, puta-
bit se gratum amasium esse et sancte ad alios si-
miles aut etiam graviores impudicitiae actus consiliabit.

Quinde talis percussio pertinet ad rationem correctionis fraternae et eleemosynae spiritualis: illam quidem, quia libidinosus admonetur sui erroris: hanc vero, quia per animosam et audacem puellae defensionem agnoscet forte delictum suum et pudore salutari percussus impuris amoribus nuntium remittet.

3. Marito non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam. tum quia non licet ipsi vindicare propria authoritate; tum quia adultera si lethali vulnere percussa moreretur, aeternae salutis jacturam subiret. tum quia haec propositio ab Alexandro VII. est damnata: non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

4. Licet tibi praevenire et occidere illum quem scis praeparare arma et captare omnem occasionem te occidendi, quia talis adversarius merito censetur jam quasi inchoare actum aggressionis, ut docent [illegible]. Quia tamen haec res multis abusibus est obnoxia ob nimium amorem sui et occultam vindictae cupiditatem, quae latente fraude se insinuat, difficilis est haec sententia in praxi et rarissimi usus. Quamvis Navarrus [illegible] num. 634. dicat, studenti, dum istic moraretur, absolutum esse [illegible], ut qui [illegible] praeventionis aliud

occidit, eo quod ardentius Amicorum fide dignorum literis docere potuerit se ab Adversario tali die et loco ad necem quaerendum. Et revera quaesitus fuit, sed praevenit eum iaculando et Adversarium prosternendo. Potes etiam ex sententia Card. de Lugo l. 10. n. 165. et aliorum praevenire et occidere illum, qui falsis calumniis et testibus conatur te per iudicium occidere. Sed et hoc in praxi durissimum est post decretum Alexandri VII. hanc propositionem damnantis: Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via innocens non potest damnum vitare.

5. Licitum est etiam occidere invasorem vitae proximi innocentis; quia bonum est suscipere patrocinium innocentis in periculo existentis. Unde recte deducunt Doctores, in omnibus casibus in quibus nos ipsos et res nostras contra iniustum aggressorem defendere possumus, posse nos etiam eundem tueri ipsum occidendo si non adsit alius succurrendi modus.

6. Non licet tibi repercutere eum, qui te prior percussit quidquid nonnulli in contrarium sentiant: quia haec repercussio non habet rationem iustae

defensio, sed vindicta, quae propria authoritate sumere non licet: nam defensio cum moderamine inculpatae tutelae non habet locum quando iniuria iam plene est illata, sed tunc solum, quando adversarius est vel in procinctu, vel in ipso actu inferendae iniuriae constitutus. Et licet possit aliquis iniustum aggressorem occidere, non tamen tenetur, sed potest permittere se occidi, si sit in statu gratiae, et si persona reipublicae non necessaria.

§. 2dus.

De Bello et Duello.

Conclusio 1. Bellum est dissensio hostilis, qua una respublica contra aliam arma movet. Supposita potestate illud indicendi, causae iustitia et intentionis rectitudine esse licitum patet ex Luc. 3. et consensu SS. Patrum et sensu totius Ecclesiae contra Manichaeos, et quosdam Anabaptistas. Potestas vero belli indicendi est penes Rempublicam liberam, nulli Superiori in temporalibus subiectam, aut Supremum Principem, in quem Respublica omnem suam potestatem transtulit. Causa iusta belli est gravis iniuria Principi aut eius subditis aut alijs recte illata, alia via